Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

P. Terentii Comoediae sex, iam denuo scholiis illustratae, atque caeteris multo castigatiores

Terentius Afer, Publius

Wittebergae, 1605

Actvs IIII. Scena IIII.

urn:nbn:de:bsz:31-112313

Visual Library

Do. Perij, obsecro tam infandum facinus mea tu, ne audivi quidem.
Py. At pol ego amatores audieram mulierum esse eas maxumos.
Sed nihil potesse: verum miseræ non in mentem venerat:
Nam illum aliquò conclussem, neque illi commisissem virginem.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

PHÆDRIA, DORVS, PYTHIAS, DORIAS.

Senarii.

Error Phædriæ iucundus in fabula, qui Dorũ adductum ad Thaidẽ putat. Et scena magna ex parte cõsumitur in narrationibus.

EXI foras sceleste: at etiam restitas?
Fugitive prodi, male conciliate. Do. obsecro. Ph. ob.
Illud vide, os ut sibi distorsit carnufex.
Quid huc reditio est? quid vestis mutatio est?
Quid narras? paululum si cessassem Pythia,
Domi non offendissem: ita iam ornabat fugam.
Py. Habésne hominem amabo? Ph. quidni? Py. ó factum bene.
Do. Istuc pol verò bene. Py. ubi est? Ph. rogitas? non vides?
Py. Videam obsecro, quem? Ph. hunc scilicet. Py. quis hic est homo?
Ph. Qui ad vos deductus hodie est. Py. hũc oculis suis
Nostrarum nunquam quisquam vidit Phædria.
Ph. Non vidit? Py. an tu hunc credidisti esse obsecro,

Ad nos deductum? Ph. namq; alium habui neminem. Py. au,
Ne comparandus hic quidem ad illum est Ille erat
Honesta facie, & liberali Ph. ita visus est
Dudum, quia varia veste exornatus fuit:
Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet.
Trochaic, Tetrametri catalec. Senarij. *Py. Tace obsecro. quasi vero paulum intersiet.*
Ad nos deductus hodie est adolescentulus,
Quem tu vero videre velles Phædria.
Hic est vetus, vietus, veternosus, senex,
Colore mustellino. Ph. hem quæ hæc est fabula?
Iamb. septē Pedum. *Eo redigus me, ut, quid egerim, egomet nesciam.*
Eho tu, emin' ego te? Do. emisti. Py. iube mihi denuo
Respondeat. Ph. roga. Py. venistin' hodie ad nos? negat.
Trimeter. *At ille aliter venit annos natus sedecim:*
Quem secum adduxit Parmeno. Ph. agedum, hoc mihi expedi:
Primum unde habes istam, quam habes, vestem? taces?
Monstrum hominis, non dicturus? Do. venit Charea.
Ph. Fratérne? Do. ita Ph. quando? Do. hodie. Ph. quamdudum? Do. modo.
Py. Qui cum? Do. cum Parmenone. Ph. norásne eum prius?
Do. Non, nec, quis esset, unquam audieram dicier:
Ph. Vnde igitur fratrem meum esse sciebas? Do. Parmeno
Dicebat eum esse: is dedit hanc mihi vestem. Ph. occidi.

Do. Me-

Do. Meam ipse † induit, post vnà ambo abierunt foràs. — † nduit, dissyllabum est.

Py. Iam satis credu sobriam esse me, & nihil mentitam tibi? — Trochaic. catalect.

Iam satu certum'st, virginem viciatam esse? Ph. age nunc bellua,

Credis huic quod dicat? Py. quid isti credam? res ipsa indicat.

Ph. Concede istuc paululum, audin'? etiam nunc paululum, sat est.

Dic dum hoc rursum, Chæream tuam vestem detraxit tibi?

Do. Factum Ph. & ea est indutus? Do. factum Ph. & pro te huc deductus est? Do. ita.

Ph. Iuppiter magne, ó sceleſtum atque audacem hominem. Py. væ mihi.

Etiam nunc non credu, indignis nos irrisus modis? — Trochaic. catalect.

Ph. Mirum ni tu credu quod iste dicat, quid agam nescio.

Heus tu, negato rursum, posúmne hodie ex te exculpere

Verum? vidistin' fratrem Chæream? Do. non. Ph. non potest

Sine malo fateri, video: sequere me hac: modo ait, modo negat.

Ora me. D. obsecro te vero Phædria. Ph. i intro. Do. hoi, hei.

Ph. † Alio pacto honeste quo modo hinc abeam, nescio. — Deest syllaba, forte actum nunc.

Actum est siquidem, tu me hic etiam nebulo ludificabere?

Py. Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere.

Hodie, prima producitur, hoc die. Do. Sic est. Py. inveniam* hodie, parem ubi pol referam gratiam.

Sed nunc quid faciendum censes Dorias? Do. de istuc rogas

Tu supereſt. Virgine? Py. ita: utrum tacedâmne, an prædicem? Do.* tu pol, si sapis,

Quod scis neſcis, neque de Eunucho, neque de vicio virginis.

Hac re & omni turba evolves te, & illi gratum feceris.

Id modo dic, abisse Dorum. Py. ita faciam. Do, sed videon' Chremem?

Thais iam aderit. Py. quid ita? Do. quia, cum inde abeo, iam tum inceperat

Turba inter eos. Py. auſer aurum hoc ego scibo ex hoc, quid fiet.

ACTVS. IIII SCENA V.

CHREMES, PYTHIAS.

Iambici Octonarij.

Iam. pura. AT at, data hercle verba mihi sunt: vicit vinum quod bibi.

Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchre sobrius:

Poſtquam surrexi, neq; pes, neq; mens satis suum officium facit.

Py. Chre-